

pollutam. Summum bonum immortale est, nescit exire: nec satietatem habet, nec poenitentiam. Nunquam enim recta mens vertitur, nec sibi odio est, nec quidquam mutavit, quia semper secuta est optima: at voluptas tunc, quum maxime delectat, exstinguitur. Nec multum loci habet. Itaque cito implet, et taedio est, et post primum impetum marcet. Nec id unquam certum est, cujus in motu natura est. Ita ne post quidem ulla ejus esse substantia, quod venit transitu celerrime, in ipso usu sui periturum. Eo enim pervenit, ubi desinat: et dum incipit, spectat ad finem.

VIII. Quid, quod tam bonis, quam malis, voluptas inest? Nec minus turpes dedecus suum, quam honestos egregia delectant. Ideoque praeceperunt veteres, optimam sequi vitam, non jucundissimam: ut rectae ac bonae voluptatis non dux, sed comes voluptas sit. Natura enim duce utendum est: hanc ratio observat, hanc consulit. Idem est ergo beate vivere, et secundum naturam. Hoc quid sit, jam aperiam. Si corporis dotes, et apta naturae conservabimus diligenter et impavide, tanquam in diem data et fugacia; si non subierimus eorum servitutem, nec nos aliena possederint; si corpori grata et adventitia eo nobis loco fuerint, quo sunt in castris auxilia, et armaturae leves. Serviant ista, non imperent: ita demum utilia sunt menti. Incorruptus vir sit externis et insuperabilis, miratorque tantum sui; fidens animi, atque in utrumque paratus, artifex vitae. Fiducia ejus non sine scientia sit, scientia non sine constantia: maneant illi semel placita, nec ulla in decretis ejus litura sit. Intelligitur, etiamsi non adjecero, compositum ordinatumque fore talem virum, et in his quae aget cum comitate, magnificum. Erit vera ratio sensibus insita, et capiens inde principia. Nec enim habet aliud unde conetur, aut unde ad verum impetum capiat, et in se revertatur. Nam mundus quoque cuncta complectens, rectorque universi Deus, in exteriora quidem tendit, sed tamen in totum